

POMPEIVS OCCO PHRISIVS.



Pompeius ille honestissimus maioribus in Fri-sia genitus, domesticum splendorem magna ex parte iuuandis, prouehendis, & literis ornan-dis impendit, in quibus etiam adeò profecit, ut apud suos alios omnes longo interuallo post se reliquerit. Suam enim patriam adeo ingenio, doctrina & ciuitate illustrauit, ut optimo iure Frisiæ de cus appellatus fuerit. Inter alia autē beneficia, quæ literariæ Reipublicæ contulit, non minimum fuit, quod Rodolphi Agricolæ Frisiæ opera, ex pulueri bus auunculi sui Adolphi Bibliotheca eruerit, atque Alardi Aemstelredami opere adiutus, magna elegantia in lucem ædiderit. Erat is Adolphus Sigismundi Archiducis Austriae Medicus celebratissimus, atque Rodolphi in studijs commilito, & postea hæres. Cum itaq; eius bona ad Pompeium deuo luta essent, Bibliothecam quoq; Rodolphi sibi gratissimam accepit, atq; optimos quosq; authores uiris doctis communicauit. Vnde meritò apud omnes magnam existimationis famā nactus fuit. floruit is anno 1497. Alard. Aemstel. in Annot. super Rhod.